



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Clericum suo Officio intentum esse oportere. 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

femita declinaverint, subindeque erronei ipsi, tam periculose digressionis commoniti, pedem in viam mandatorum Domini referant. Quod ab illis pientissimus simul ac iustissimus Deus, quum, verbo hactenus adhortans, parum profecerit, innumeris plagis iustissime immisissis commonens, manifesto requirit.

I Cor. II.

CAP. II. Vnde Clerici appellatio derivata.

Neminem fugit, unde Clerici appellatio derivata sit; nempe à κληρῆς, quod fortem sonat. Propterea enim (si divo Hieronymo credimus) Clerici dicuntur, quia de sorte Domini sunt, vel quia ipse Dominus, fors (id est, pars) eorum est. Quia ergo vel ipsi pars Domini sunt, vel Dominum partem habent, tales se exhibere debent, ut & ipsi possideant Dominum, & possideantur à Domino, quum cum Propheta confidenter dicant: Dominus pars hereditatis meae. Non quidem quod à sorte Domini Laicos secludamus, (omnes enim, qui Christo per baptismum & fidem incorporati sumus, populus acquisitionis ejus sumus, de quo Propheta dixit: Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hereditatis ejus;) sed quod Clerici, peculiari quadam ratione, ministerio Dei & Ecclesiae dedicati sint. Omnis quidem multitudo sanctorum erat, attamen Dominus Tribum Leviticam suo ministerio peculiariter delegit, quam in terra Israel praeter primitias, decimas, partesque immolatorum, ac reliqua quae ipsis peculiariter lex dedicavit, nihil proprium possidere, nec habere partem inter fratres voluit. Dominus enim ipse est hereditas ejus; quam in hoc elegit ex omnibus tribubus, ut staret & ministraret nomini ejus. Habet Evangelium suam Magdalenam, habet & Martham: & secrevit quosdam Christos, quos dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi. Breviter, à condito orbe, & ab Ecclesiae, quae in Adam coepit, crepundiis, semper videntur ex hominibus assumpti quidam, constituti pro hominibus in his quae sunt ad Deum. Semperque visum est genus humanum à duobus ministris Dei optime regi; quae sunt, Sacerdotalis autoritas & regia potestas. Quibus quandiu inter se convenit, bene actum est de repub. Dei: quum secus, omnia in diversum repente mutata sunt. Pone ob oculos sermo divinus pleraque exempla, huc spectantia, perpetuo memorabilia. Sed quid attinet antiqua repetere, quum nostri temporis exempla non minus insignia, non in aures tantum, sed in oculos ipsos, influant? quae nimis abunde docent, quantum malorum in Ecclesiam Dei invexerit, sacra prophanis miscuisse,

Hier. ad Nepot.

Psal. 15.

Deut. 32.

Num. 18.
Deut. 18.Luca 10.
I Cor. 12.
Ephes. 4.Hebr. 5.
Gela.
Pont. ad Anast.
Aug.

CAP. III. Clericum suo Officio intentum esse oportere.

Omnia mali seminarium, cupiditas semper fuit. Nam, dum nemo suum peragit officium, alienis semper intentus, nempe Clericus quae Laici, Laicus quae Clerici sunt, (ut deteriora sileamus,) usurpat; fit, ut Ecclesiae harmonia diutius constare non possit. Obtestatur Paulus Apostolus Timotheum, quin potius contestatur simul omnes quotquot erant Timotheo successuri: Tu, inquires, vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple.

I Tim. 5.

2 Tim. 4.

CAP. IV. Duplex Clericorum ministerium.

Clericis, & inprimis Ecclesiae Presbyteris, duplex ministerium, divinis & humanis legibus, est junctum. Alterum, ut, in commissum sibi populum, Deum propitium habere, cunctis rationibus enitentur: quod non tantum sacrificiis solemnibus efficitur, sed etiam precibus, quae à pio corde proficiuntur, teste Iacobo; qui nos ad precandum cohortans: Orate, inquit, pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio iusti assidua. Omnibus quidem dictum est: Petite, & accipietis. his vero, ut semper petant, nec pro semetipsis tantum, sed & pro tota Ecclesia Dei, ut vincat populus, qui sub ipsis est, hostes illos invisibiles, impugnantem eos qui volunt pie vivere in Christo; ut stent, sicut Moyses, levatis semper interioribus animi manibus in caelum, in contradictione, in conspectu Domini, ad averendum iram ejus, ne disperdat populum suum assidue precantem; deinde, ut offerant dona ac sacrificia pro peccatis; quemadmodum scriptum est: Quoniam sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus. incensum enim Domini & panes Dei sui offerent, & ideo sancti erunt. Alterum, ut sint Religionis magistri, proindeque ut in lege Domini meditentur die ac nocte, ut judicia Domini vera, justificata in semetipsis, desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum, dulciora super mel & favum, totis praecordiis amplectantur, exquirant, scrutenturque; idque non propria praesumptione, aut humano sensu, sed Spiritu sancto dictante, qui abscondit haec à sapientibus & prudentibus in oculis suis, & revelat ea parvulis. Vnde scriptum est: Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Qui in hoc secundo munere praestant, gregi Christi pacendo admovendi sunt: de quibus suo loco dicemus.

Iac. 5.

Matth. 7.

Exodi 17.
Psal. 105.
Hebr. 5.

Levit. 21.

Psal. 18.

Ex decret. d. Clemens. Matth. 11.

Mal. 2.

CAP. V.